

ab ore, eo quod ibi pateant. Nam ubique cute visceribusque
 obsecta celantur. Medulla appellata, quod madefaciant ossa ; 87
 inrigant enim et confortant. Vertibula sunt summae ossuum
 partes nodis crassioribus conglobatae, dictae ita eo quod ad
 5 inflexionem membrorum illa vertantur. Cartilagines ossa 88
 mollia et sine medulla, quod genus auriculae et narium discrimen
 et costarum extremitates habent ; sive opercula ossuum,
 quae moventur. Et dictae cartilagines quod leni attritu
 carent dolorem dum flectuntur. Costas appellari quidam pu- 89
 10 tant quod ab ipsis interiora custodiantur, et tota mollities ventris
 vallata salvetur. Latus, quia iacentibus nobis latet : est 90
 enim laeva pars corporis. Dextro autem lateri habilior motus
 est ; laevo fortior, et oneri ferendo adcommodatior. Vnde et
 laeva nuncupata, quod aptior sit ad levandum aliquid et por-
 15 tandum. Ipsa enim gestat clipeum, ense, pharetra et reliqua
 onera, ut expedita sit dextera ad agendum. Dorsum est a 91
 cervice usque ad renes. Dictum autem dorsum quod sit superficies
 durior corporis in modum saxi, fortis et ad portandum et
 ad perpetiendum. Terga, quia in ea supini iacemus in terra, 92
 20 quod solus homo potest. Nam muta animalia tantum aut in ventre
 aut in latere iacent. Vnde et in animalibus terga abusive dicuntur.
 Scapula. . . Interscapilium spatium, quod 93
 inter scapulas est, unde et nominatum. Palae sunt dorsi dextra 94
 laevaue eminentia membra, dicta quod in luctando eas premi-
 25 mus ; quod Graeci *πάλην* dicunt. Spina est iunctura dorsi, 95
 dicta eo quod habeat radiolos acutos ; cuius iuncturae spondilia
 appellantur propter partem cerebri, quae fertur per eos longo
 tractu ad ceteras corporis partes. Sacra spina est ima perpetuae 96

1 namque ub. C 2 tecta K madefaciat C 4 notis K gros-
 sioribus B ita] itaque B quod] quae B 7 habet T sive]
 sibi K 9 dum] quo B 11 servetur K Lat. quod latentibus B
 12 dextra TB latere B 13 laevo (le-) CT : laeva (le-) BK honori
 B feriendo T 15 pharetram C 17 dictus au. dorsus KT 18 in
om. K 19 qu. in supino iac. K (*non D*) 20 anim.] alia B 21 et in *om.*
 T : et *om.* BK (*non D*) 22 Interscapulium T : Interscapilium BK : In-
 terscapilium C 23 Palpe K 24 quod] quia B 25 palin *codd.*
 Sina K 26 spondolae K 27 per os K : *om.* B 28 perpetua K